

1607 litatis pacisque studio commoveri: exinde, quæ egerit, quam cunctis ingenii nervis contenderit, ut aliqua honesta ratio concordiae ineatur, significat: in Venetis egregiam voluntatem, religionis eximum studium, pacis desiderium perspexisse; quidquid per eos effici poterat, cumulate præstasse; amplius non facturos, atque ab iis, quæ sibi communicaverant, ne tantillum quidem recessuros: ni iis habitis dissidiis exitus inveniatur, pessimo loco res fore, jam tum autumari: nobilitatem infracto animo cuncta pericula subituram, bellum alacriter suscepturnam, nihil, quo dignitatem unicum libertate tueatur, prætermisuram: vires illi maritimas ac terrestres adesse, in bellicorum apparatus singulare studium, ingentes thesauros, externorum Regum ac Principum necessitudines, quibus extrema quæque pro patria amplexuri sint. Dicente Jojeusa, cum haud parum Pontifex commoveri videretur, inquit: *Nisi præter ea, quæ certo Senatum decrevisse noverat, sibi aliquid concederetur, nullo pacto consensurum.* Castrisque literis, de quibus antea diximus, perfectis, subdit: *Non ejusmodi, quas Jojeusa affirmaverat, Reipublicæ vires, non eam sibi, ut vulgo ferretur, vim auri atque argenti esse: ancipiti bello in Insulibris nempe ac Ferrariensiibus Reipublicæ dimicandum; mari, qui obfisterent, futuros; neque cum hominibus Diisque pugnare Venetos posse arbitrari: quacumque ratione Apostolicæ Sedis dignitatem tueri statutum sibi, & immotum esse: quidquid adbuc auri in Hadriani mōle reliquum effet, exhausturum, vasa quin etiam sacra, si opus in eam rem sit, devenditum & conflaturum.* Hæc cum perturbate dicerentur, Jojeusa non nihil concedendo, alia refellendo, molliter excipere Pontificem nixus, ita sibi complanare iter studuit, ut quam maxime illius animum ad concordiam flecteret: tantumque & ratione, & dicendi vi, qua maxime poterat, effecit, ut vultus serenitate, ac lenissimis verbis facile ingens pacis desiderium patet faceret.

Dum hæc gererentur, maximique Reges certatim suboriens in Italia incendium, gloriæ desiderio incensi, restinguere nituntur; veritus Cæsar, ne qui supremam in chri-

Pauli Pon-  
tificis ad  
Jojeusam  
responsum.